

statum esse recuperaturam. Ergo libertates hodiernas non intendit definitive acceptandas ac retinendas esse.

Constat 2^o *ratione*.

1^o Ecclesia accepit a Christo praeceptum inviolabile docendi omnes gentes, et quidem docendi omnia quaecumque ipse mandavit, et id peragendi usque ad saeculi consummationem. Certe praecepto non obtemperaret si aliquando, ante consummationem saeculi, definitive statueret aliquid eorum quae mandavit Christus silentio tegere. Sed inter ea quae Christus docere mandavit, non infimum locum tenent Ecclesiae ipsius auctoritas et jura divinitus ei super societates civiles concessa. Ergo Ecclesia nunquam definitive decernet abstinere a docendo sibi, ex Christi voluntate, competere jus exclusivum ad libertatem civilem. Jam vero, veritates religiosas Ecclesia eo fine praedicat, ut ad praxim reducantur, quantum erit possibile, non vero ut sterili contemplatione mentes demulceant. Ergo Ecclesia nunquam definitive abstinere a petendo ut jurium suorum in societates civiles usu perfruatur.

2^o Ecclesia, utpote Christianorum mater devotissima et sapientissima, omnem suam impendere debet industriam, ut malis saluti aeternae perniciosissimis, et ex perversa hominum voluntate procedentibus, opportunum remedium afferat, quia ipsius est voluntates a recto tramite devias ad veri justique normam componere. Atqui, ex una parte, tolerantia civilis falsarum religionum est quid in se saluti hominum perniciosissimum, ut satis patet ex dictis, et ut declaravit Pius IX damnando LXXIX propositionem Syllabi: « Falsum est civilem cujusque cultus liber-

« tatem... conducere ad populorum mores animosque
« facilius corrumpendos, ad Indifferentismi pestem
« propagandam. » Ex altera autem parte, tolerantiae civilis necessitas ex perversa hominum voluntate oritur. Ergo Ecclesia nunquam cessabit tanto malo afferre remedium, efficiendo ut, emendatis hominum voluntatibus, civilis societatis conditio melioretur, et jura veritatis integra tandem convalescant.

360. Dico 4^o: *Ex dictis sequitur, non esse semper prohibitum hodiernis libertatibus acquiescere, modo id cum debitis cautionibus fiat.*

De hujusmodi condescensionis propugnatoribus sic loquitur Leo XIII in Encycl. *Libertas*: « Multi rei « sacrae a re civili distractionem non probant; sed « tamen faciendum censent ut Ecclesia obsequatur « tempori, et flectat se atque accomodet ad ea quae « in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat. Quorum est honesta sententia, si de quadam « intelligatur aequa ratione, quae consistere cum « veritate justitiaque possit, nimirum ut, explorata « spe magni alicujus boni, indulgentem Ecclesia sese « impertiat, idque temporibus largiatur quod salva « officii sanctitate potest. » In eadem Encycl., ut vidimus, admittitur quod *modernis libertatibus Ecclesia acquiescat, quia permissas esse judicat expedire.*

Restat igitur explicandum quaenam, praedictis libertatibus acquiescendo, adhibendae sint cautiones, quas paucis indicabimus:

1^o Ut verbis utamur Leonis XIII (Encycl. *Libertas*), nequaquam licet: « petere, defendere, largiri cogi- « tandi, scribendi, itemque promiscuam religionum

« libertatem, veluti jura totidem quae homini natura
« dedit. » Possunt solummodo : « ista genera liber-
« tatis... si justae causae sint, tolerari. »

2° Ubi hae libertates alicubi etiam illegitime in-
troducatae fuerint, licet eas invocare in patrocinium
verae religionis, ut harumce legum beneficio secu-
rius exerceatur. Sunt enim legitimae in quantum
dant licentiam bene operandi. Ita etiam Leo XIII
(loc. cit.) : « Ubi harum libertatum viget consuetudo,
« eas ad facultatem recte faciendi cives transferant,
« quodque sentit de illis Ecclesia, idem ipsi sentiant.
« Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus
« rerum honestarum majorem facilitatem afferat,
« praeterea nunquam. »

3° Uti pluries et clare inculcat Leo XIII (ibid.), ut
praelaudatae libertates legitime concedantur, requi-
ritur ratio sufficiens, nempe : explorata spes magni
alicujus boni ex illarum tolerantia, aut majoris ali-
cujus mali periculum ex earumdem negatione pro-
veniens. Et ideo, pro varietate adjunctorum, modo
tolerantia civilis erit necessaria, ad malum majus
vitandum ; modo erit simpliciter licita, videlicet,
propter fere aequalem aut incertam boni ex illa spe-
rati copiam ; modo erit illicita, propter magnam boni
ex illius absentia obventuri supereminetiam : « Con-
« fitendum est... tolerantiam rerum malarum, cum
« pertineat ad politicae praecepta prudentiae, om-
« nino circumscribi iis finibus oportere, quos causa,
« id est, salus publica, postulat. » (Encycl. *Libertas*.)

4° Jus illud tolerantiae, ubi sufficiente ratione pro-
batur, in pactum deduci potest, quia tunc pactum,
utpote de re licita, validum est atque religiose ser-

vandum. At quando, cessantibus causis, jam tolerantia
fit illicita, cessat et ipsum pactum : « Quare, inquit
« Leo XIII (ibid.), si saluti publicae detrimentum
« afferat, et mala civitati majora pariat, consequens
« est eam adhibere non licere, quia in his rerum
« adjunctis, abest ratio boni. »

5° Ut recte judicetur de rationibus hinc et inde
pro et contra militantibus, sententia expectanda est
Romani Pontificis ; tum quia agitur de casu gravissimo
circa statum Ecclesiae, de quo non nisi summus Pon-
tifex judicare potest ; tum quia tolerantia haec civilis
legibus ecclesiasticis per se prohibita est. Ita Card.
Tarquini (Juris Eccl. publ. Instit., ed. 4, p. 67, in not.)

6° Nunquam desinet Ecclesia totis viribus allabo-
rare, ut omnes errantes ad fidei unitatem revertantur,
sicque desinat ratio tolerantiae. Societas autem civilis
plenam catholicis pastoribus, aliisque huic operi in-
cumbentibus, libertatem dare tenetur, imo et pro
posse suo, prout sinit prudentia, patrocinari.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur
n. 352.

361. *Ad 1.* Posita necessitate religionis socialis,
jam civilis auctoritas, in quocumque resideat, catho-
lice exerceri debet ; ac proinde jus habet et officium
externas religionis catholicae violationes, prout oportet,
et Ecclesia postulante, reprimendi. Hoc autem
reputari non potest libertati injuriosum ; facultas enim
peccandi non est voluntatis decus, sed potius infir-
mitas. E contra, quo magis contra malum liberi arbi-
trii usum praemunitur, eo perfectior libertas evadit,
quia libertati divinae fit similior.

362. *Ad 2.* Intolerantia civilis quam propugnamus,

ea non est qua directe homines cogentur ad credendum. Violenta enim veritatis obrusio communiter hypocrisis facit. Unde Nicolaus II, in responso ad Bulgaros, c. 41 *de Convertendis*, ait : « Illis violentia, ut credant, nullatenus inferenda est ; nam « omne quod ex voto non est, bonum esse non potest. » Et in jure canonico (Decret. IV, tit. VI. De Judaeis, c. IX *Sicut*) statuitur : « ut nullus invitos aut nolentes Judaeos ad baptismum venire compellat. » Ergo in hoc consistere debet civilis intolerantia, ut error cohibeatur, religionis falsae praedicationem et cultum interdicens ; quae coacta interdictio nonnunquam ad veritatem credendam per accidens conducit, removendo scilicet erroris illecebras, et efficiendo faciliorem ac fructuosorem apostolatam Ecclesiae.

363. *Ad 3.* Parum refert praedicatores errorum non seducere nisi volentes. Quot enim quotidie et juste fiunt ut arceatur malum a proximo, etiam contra ejus voluntatem ? Nonne plectuntur qui alios ad libidinem, quamvis voluntariam, incitant libris aut verbis aut publicis actibus ? Quibus adde difficultatem pro rudibus et indoctis fallacias detegere argumentorum, praesertim ubi mens passionibus obcaecatur et sollicitatur. Unde, ait Leo XIII, in *Encycl. Libertas* : « Peccata licentis ingenii, quae sane in oppressionem cadunt « multitudinis imperitae, rectum est auctoritate legum « non minus coerceri, quam illatas per vim imbecillioribus injurias. »

364. *Ad 4.* Ad hoc ut princeps proscribat religiones falsas, non praerequiritur ut judicet auctoritative de veritate et falsitate religionis, sed sufficit ut iudicium

illud auctoritativum accipiat ab Ecclesia infallibiliter docente.

365. *Ad 5.* Quamvis princeps directe solum finem temporalem intendat, indirecte tamen tenetur respicere ad finem ultimum spirituales, cui omnes alii fines subordinantur. Finis autem ille spiritualis est proprie de foro Ecclesiae, non de foro principis, qui propterea ad hunc suam regendi rationem ordinat sub directione Ecclesiae. Ab illa enim edocetur de eis quae fini ultimo consequendo obstarent, et de eis quae ad illum obtinendum sunt necessaria, et tenetur, tum illa omittere, tum ista procurare.

Nec ideo potestas temporalis et spiritualis confunduntur, sed ambae, intacta sua differentia specifica, mutua conspiratione procedunt, ita ut inferior superiori subjecta sit. Nonnulli equidem principes ab illa regula deviarunt, et Ecclesiae jurisdictionis facti sunt invasores et oppressores ; sed malum illud soli hominum malitiae tribuendum est.

366. *Ad 6.* Bona fides errantis et errorem propagantis excludit quidem peccatum formale, sed non impedit quin agendi ratio sit in se pernicioiosa. Atqui ubi lex certa delicta punit, non attendit ad peccatum formale, de quo solus Deus judicat, sed ad detrimentum publicum praeveniendum aut reparandum. Et revera, coercitio adversus eos qui perversa seminant dogmata, obstat ne hi aut alii, id faciendo, unitati religiosae et publicae paci praejudicium ferant.

367. *Ad 7.* Si delicta quae Deus in hoc mundo non coercet ab hominibus forent toleranda, ergo sicarii et fures tolerandi essent. Dicendum igitur a Deo supremo omnium creaturarum provitore, propter bonum

generale, peccatores patienter sustineri, ut detur locus poenitentiae, et quia ex malorum consortio justi salubriter exercentur; sed Eum simul exigere ut societatis ecclesiasticae, aut civilis, aut domesticae rectores, suorum subditorum delicta reprimant, quia secus eorum bono satis non providerent.

368. *Ad 8.* In homine lapsa et corrupto, veritatis et erroris in materia Religionis occursum non leve adducit periculum, etiam pro eo qui de veritate certus est; quanto magis pro eo qui nondum est in fide firmus! Falsum est enim, data omnimoda libertate tum errori tum veritati, veritatem magis allicere quam errorem, et splendidius in hominum mentibus refulgere. Veritas equidem *in se* et *objective* majorem vim habet; at non item *subjective*, seu, *quoad nos*, praesertim in statu naturae lapsae. Error enim, quoties superbiae et cupiditatibus favet, majorem exercet fascinationem, et vehementius trahit. Unde praestat ut homo ad veritatem aliquatenus adigatur, et praesertim ut ab eo removeantur erroris illecebrae et sophismata. Secus, homo non deberet a flagitiis per poenarum minas deterreri, et laudandi essent parentes qui filios suos sinerent quoslibet libros, etiam contra mores, legere; necnon cujuslibet conversationem et societatem admittere.

369. *Ad 9.* Concedimus errorem non vi sed rationibus confutandum esse; et, ubi semel animos inficere coeperit, discussionem non esse reformidandam, sed quaerendam potius. At contendimus, ob naturae corruptae infirmitatem, melius esse si periculo occurratur, impediendo ne, ubi viget unitas in fide, dogmata per-versa praedicentur. Unde vis adhibita ad veritatis

periculum sic removendum, non est signum modicae fidei, sed actus prudentiae et charitatis; neque est Deo injuriosa, cum ipse Deus velit causam suam hominibus defendendam committere.

370. *Ad 10.* Ingens disparitas est inter religionem veram et religionem falsam, etiam quae reputatur vera. Primae competit verum jus ad protectionem, secundae non nisi putativum. Etenim, ut diximus, jus est facultas moralis, id est, secundum rectam rationem; error autem rationi contradicit. Unde motivum obligans principem ad veram religionem tuendam, non est simpliciter pax quomodocumque servanda, sed pax servanda *in unitate veritatis*. Protegere autem religionem falsam, foret fovere concordiam in errore communi, quae concordia non est aliquid bonum, cum fini ultimo obstet. Ergo religioni falsae non debetur protectio, sed, ad summum, ob peculiares circumstantias, aliquando conceditur tolerantia. Quod si bona fide reputetur vera, sequitur tantum, ratione juris putativi, principem hanc protegentem non peccare formaliter. Sed bona fides non aufert deordinationem quae reperitur in protectione erroris, nec dat jus contra veritatem; secus, amentes et furiosi haberent jus ad ea quae faciunt in amentia et furore.

371. *Ad 11.* Falsum est intolerantiam cultuum, *ex natura sua*, secum inferre malos effectus, aut hos malos effectus, si per accidens aliquando producantur, per bonos nunquam compensari.

a). *Ex natura sua* non est discordiarum semen, potissimum ubi jam viget unitas in vera religione; quia tunc, e contra, facultas errorem introducendi nata esset pacem publicam perturbare, innumerosque

et quandoque cruentos gignere conflictus, ut dictum est supra.

b). *Ex natura sua* non facit hominum animos a veritate magis alienos, modo prudenter se gerat auctoritas civilis, puta : non cogendo directe ad fidem, sed providendo ut homines bene instruantur, et non nisi perpensis credibilitatis motivis, religionem amplectentur; et demum a mediis de se odiosis abstinendo.

c). *Ex natura sua* non fovet hypocrisim; quia non inducit ad credendum sine convictione; et haec convictio, ubi agitur de religione vera, tot splendidis signis a Deo insignita, certo certius adest in omnibus qui recto corde ad veritatis motiva expendenda se dedunt.

d). *Ex natura sua* stimulum zeli apud veritatis defensores non hebetat, ob nimiam in brachio seculari confidentiam; actio siquidem brachii secularis eo tendit ut zeli exercitium evadat facilius et efficacius, et sine opera praedicantium ad nihil inserviret.

Quibus addendum est hos malos effectus, si quandoque per accidens eveniant, satis per bonos compensari. Etenim, hujusce protectionis beneficio, innumeri salvabuntur, quia a perversorum hominum insidiis, seductionibus, minis expediti, liberius et securius veritati adhaerebunt. Quinimo, multis vexatio dabit intellectum, et ab erroris tramite feliciter recedent, ut probat experientia.

Denique, concedimus nonnunquam, ubi praesertim falsae religiones semel alicubi introductae jam altas egerunt radices, tolerantiam cultuum, tanquam minus malum, concedi posse ac debere. Aliquando enim, juxta omnes, data sufficienti causa, licet alterius

peccato cooperari, et sese periculo peccandi exponere. Ergo, ubi tot reformidarentur mala ex intolerantia civili cultuum, ut jam minus perniciosum videretur per tolerantiam peccato heterodoxorum cooperari, et relinquere fideles in seductionis periculo, non erit illicitum libertatem cultuum civilem imperitari, imo et in pactum fideliter observandum deducere.

372. *Ad 12.* Ecclesia factum consummatum, *in se* justitiae ac veritati derogans, et ex perversa hominum voluntate ortum habens, nunquam positive approbat, neque acceptat modo definitivo; sed, ubi oportet, prudenter et transitorie dissimulat et patitur; et interea veram doctrinam evangelicam integre proponere non desinit, et conari ut ad praxim quantocius et ab individuis et a societatibus reducat. Nec verum est, ut supponit objectio, errorem in declaratione jurium hominis anno 1789 edita contentum, tam altas ubique egisse radices, ut jam expediat illum amplius non impugnare. Nullus est enim error religiosus qui magisterio Ecclesiae, si velint homines huic docibiles se praebere, non debeat propulsari; et posito quod nolint, Ecclesia nihilominus tenetur jure divino exaltare vocem suam, quia salutem populorum, pro posse suo, procurare ad illam spectat.

QUAESTIO V^a

An et quatenus officia societatis civilis erga ecclesiasticam per concordata legitime determinentur?

(Vide canonistas; notanter : de Angelis, Tarquini, Santi, Satolli, etc.)

373. Resp. 1^o Concordata, seu, conventiones ab